

Jupiter at quoscumque odit male per vaga ponti  
 Aut freta , terrarum vasta per aut spatia ,  
 Pieriae inlecebras oderunt vocis; & acer  
     Cœus, & Iapetus sub Styge , & Enceladus ;  
**Quique olim eductus Cilicum sub rupe [a] Typhœus**  
     Nunc Cumis , nunc & litoribus Siculis  
 Subpostus graviter premitur . Sua pectora setis  
     Hispida cœlesti mole gravat cohibens  
 Ætna pruinosa semper nivis horrida nutrix ,  
     Quæ , dum Sol rutilat clarus in axe , sinu  
**E** rabido picea fundit caligine nubem :  
     Mox idem , quam se Tethyi restituit ,  
 Purpureum ejectans ignem , flammantia volvit  
     Terrifico rapidum saxa sono in pelagus .  
**A**rdet inexstincto volcania gurgite sedes ,  
     Aestuat horrendis ignea vorticibus ,  
 Spectaculum infelix , mirum : seu viderit ullus ,  
     Seu narrantem etiam fors alium audierit ,  
 Subter ea ut jaceat vincitus , duroque cubili  
     Ille miser curvatum adterat usque latus .  
**O** mihi sit placuisse Jovique , & cœlitibus Dis ,  
     Quos & flos cantus , flos juvat & citharæ :  
**I**ngemat Ætna frustra sub rupe Typhœus .  
     Non mi etenim Scythico corda rigent chalybe ,  
 Sæva nec admovit mi nutrix ubera tygris ,  
     Non Syrtis , non mi Scylla vorax genuit .  
**C**antum amo , Musarumque choros : me me bona vidit  
     Nascentem haud lævo lumine Calliope .  
**N**am velut aerio sublucens tramite nubes ,  
     Aut vento , aut radiis percita Apollineis ,

(a) *Virgilius quidem lib. III. Æn., & P. Cornelius Severus sub Ætna collocant Enceladum: at Pindarus Pyth od. I. non Enceladum sed Typhonem, qui & Typhœus, Ætna in Sicilia premi confirmat.*